

Duce, quam ars maxime vigeret, respondit: Medicorum, fidem non danti Regi, lepide, pacto etiam interposito probavit: quippe obvoluto ore dolorem dentium simulans, dum præ foribus templi ab omnibus cognoscitur, quod doleat, ultra trecenta remedia conquisivit. Inter quos ipse Rex ignarus dein primas tenuit. Ita probavit, quod dixit. *MAJOR. l. 332.*

Remedium uxorum contra maritos iratos.

Fœmina, cujus maritus quotidie ebrius illam male mulcabat, uxoris conviciis irritatus consilium a vicino petiit, qui maritum curaret: dedit ille, iussitque, si vir rediret domum ebrius, fœmina, pharmacum illud (aqua fuit pura) tandiu ore teneret, dum vir cubitum iret; fecit, et efficacem medicinam sensit. *DREXEL. in Phaet. c. x. §. 4.*

Sibyllarum librorum pretium.

Anus hospita atque incognita ad Tarquinium Superbum Regem adit, novem libros ferens, quos esse dicebat divina Oracula, eam velle dixit venundare, pretio vero ingenti. Rex ad pretium risit; tum anus extracto fuculo tres liberos ex novem illis comburit, Regique sex reliquos eodem pretio exponit, majori Regis risu. Mulier ibidem tres libros denovo comburit, tribus reliquis Regi eodem pretio oblati. Tum Tarquinius eam fœminæ constantiam non spernendam ratus, tres dicto pretio reliquos libros emit, mulierem vero ab Rege digressam nullibi postea visam aiunt; libri in sacrarium conditi Sibyllini dicti; ad eos quasi ad Oraculum viri adeunt, cum dii immortales publice consulendi sunt. *CELLIUS l. 1. c. XIX.*

Amor et fides servilis.

Urbinus, cum iussus occidi in reatino lateret, lateribus proditis, unus e servis annulo ejus, et veste insignitus in cubiculo, ad quod irruerant, qui persequerentur, pro domino jacuit, militibusque ingressis cervicem præbuit, et ictum tamquam Urbinus excepit. *MACOBR. l. 1. sat. c. vi.*

Idem.

Antius Restio proscriptus, solusque nocte fugiens, diripientibus bona ejus aliis servis, a servo qui post fugam domini aliena solutus esset custodia, quippe ab illo captus, alitus est, qui cum ultro jam liber vinculis hac de causa insequeretur, hortatus insuper, ne dominus metueret, contumeliam illam, fortunæ, non domino imputandam, ministerio suo aluit; quumque deinde persequentes adesse sensisset, senem, quem casus obtulerat, jugulavit, inque proximam accensam pyram conjecit, mentitus persequentibus se dominum suum digna pœnitentia plectere. *Ibid. c. vii.*

Amor Patriæ.

Codrus ultimus Rex Atheniensis Melanthi filius, accepto oraculo Pythio, quorum Dux esset ab hoste occisus, eos futuros superiores, deposita veste regia, pastorem induit, immixtusque castris hostium de industria imprudenter rixam ciens interemptus est, insecuta mox Atheniensium victoria. *VELLEIUS PATERCUL. l. 1.*

Sola in patriam amor Cassium Cheream Tribunum movit, ut Caligulam, qui eam crudelissime dilacerabat, manu sua occideret, cujus rei nunquam adduci potuit, ut pœniteret, etsi ob eam rem ipse morte affectus fuit. *BART. CAMPOS. l. vi.*

Miraculum Turcicum.

Narrat Bernardinus de Busto, quod Mahomet celebri miraculo inclaruerit. Januensis quidam sanum Turcicum (ipsi Moscham vocant) curiositate pellicente ingressus (quod capitale exteris est) cum ob confluentium hominum multitudinem vehementius comprimeretur, eo necessitatis redactus est, ut cum excedere templo non posset, quo naturam exoneraret, compulsus fuerit Mahometi digna Mahomete thura accendere; quæ cum supplices reliquos gravius admodum naves offenderent, jamque cogitarent, thuricereum post purgatos odores victimam facere,

ille vix veniam promendi prodigii extorsit. At igitur, se, cum diu beneficio naturæ caruisset, hic demum se a Mahomete accepisse, ut primum ejus sanum attigisset; placuit ea res Mahometistis, et utrumque male dieret, tulerunt tamen molestiam illam novi prodigii fama aures placaturi, si gravius naves læderentur. Clamatum itaque communi applausu: Miraculum, miraculum; et ut rei gestæ monumentum existeret, thuribulam (caligas puta) e tholo suspenderunt. Mahometanæ beneficentiæ argumentum perpetuum. *BERN. DE BUSTO ser. 44. p. 1.*

Aurum spreum.

Anemalii cum ad Utopienses superbissimo vestium luxu legatos destinassent, Utopienses vero patrio more aurum, et gemmas servis tantum, et infantibus ex contemptu appenderent, ludibrio fuerunt incolis. Tres enim legati urbem Amaratum ingressi cum centum comitibus, omnes vestitu versicolori, plerique serico, legati ipsi amictu aureo, magnis torquibus, et inauribus aureis, ad hæc annulis aureis in manibus, monilibus insuper appensis in pileo, quæ margaritis ac gemmis effulgabant. Utopienses, quibus insolens visus erat incensus, adeo habuit suspensus, ut infimum quemque pro dominis reverenter salutantes, legatos ipsos pro servis habitos sine ullo prorsus honore prætermiserint; quin pueros quoque vidisses, qui gemmas ac margaritas abjecerant, ubi in legatorum pileis affixas conspexere, compellere matrem, ac latus fodere: « En mater, quam magnus nebulo margaritis adhuc et gemmulis utitur, ac si esset parvulus. » At parens serio etiam illa: « Tace, inquit, fili, est opinor quispiam e motionibus legatorum. » Alii catenas aureas reprehendere, utpote nullius usus, quippe graciles, ut eas facile servus infringere, tam laxas rursus, ut cum fuerit liberum, possit excutere, et solutus ac liber quovis aufugere. Hoc viso, aurum gemmasque iis populis tam viles esse, plusque auri Utopiensem servum collo gestare, quam omnes comites intellectis insuper Utopiensium moribus, factum et crepundia postere, Utopienses enim mirabantur, cur gemmarum splendorem tanti facerent, ubi clarior multo stellarum minima fulgeat; præterea illos lanarum artificiosa textura adeo

superbire, cum ante paulo lanam eandem ovis gestasset, nec tamen aliud, quam ovius fuisset. Ita legatorum fastus subsidit. *TN. MOR. ix. TROR. l. II.*

Mirum furis ingenium.

Rampsinitus Rex Ægypti, cum omnium Regum maxime esset dives, pecunias suas asservaturus tuto loco, ædificium exstruxit lapideum, cujus parietum unus in exteriori aedium partem pertingebat; hujus ædificii architectus in illo pariete lapidem unum tam dextre inclusit, ut a junctura liber esset, et tamen nullo signo appareret solutus; per hunc noctu amotum, quoties voluit, pecunias surripuit. Interea moribundus pater artem doluque docet filios. Filii mortuo patre aliquoties dolum exerceunt, donec Rex ingressus advertit copiam imminui; nihilominus fratres duo impune idem ausi sunt. Demum Rex retibus jubet vasa pecuniaria obduci. Redeunt fratres horum unus, ut intravit ædium, inducit se in laqueos. Utque videt acutum de salute, fratrem vocat, jubet sibi caput præcidi, utcumque intus relinquit, ut saltem frater superstes evaderet; occidit alter, caput domum refert. Mane Rex cum stupore truncum videt sine capite, solvis interim sigillis et foribus: jubet corpus e muro suspendi, intereaque in civium vultus intueri, num quis hoc spectaculo moveretur. Mater filii occisi interea domi filium tristicum urget, liberaret cadaver, alias se facinus prodituram: frater fraudem comminiscitur. Intrastris asinis utres vinoplenos imposuit. Et postquam asino justa custodes duxit ante suspensum cadaver, reclusis ligaculis duos tresve utres resolvit, et cum vinum proflueret, tres caput cadentem vehementer vociferatus est, tamquam nesciens; ad quem prius asinorum se resolveret. Custodes interea conspiciati vinum profluere vasis excipiunt, bibunt, agasonem provocant. Ille paulatim simulat se mitigatum, condat primo unum utrem, mox alterum, donec sopiret vigiles; tum ludibrii causa abscissa dextra manu, cadaver clam ablatum matri refert. Rex magis miratus desperat, se in rem præsentem deceptum, dolum struit, pollicetur, et exponit publice velut prostibulum filiam suam, hæc tamen conditione, ut, qui vellet ea abuti, diceret, quid in vita sua solertissimum, et scelestis-

simum perpetrasset. Alter fraude fraudem eludit, abscessa nuper mortui hominis dextra petit Regis filiam, narrat rem omnem, ut Regem et custodes eluserit; filia ubi eum vult reum vult captivum tenere, porrigit manum ex cadavere abscessam, quam ubi illa velut impostoris accepit, interea alteram invita dimisit. Sic Rex toties elusus impunitatem reo promittit, si se proderet, prodeuntem reum muneribus donat, filiamque ei uxorem dat, ingenium miratus. Hærodot. l. II.

Tria in Republica optanda.

Maximilianus I. Imperator triplici spectaculo delectari solitus dicitur. Primo, videndo campum copiis militaribus instructum. Secundo, Chorum refectum Monachis. Tertio patibulum plenum furibus. Primo, dicebat urbes defendi. Secundo Religionem. Tertio, justitiam. *Nieremb. strom.* VI. c. xxx.

Amor exoticus.

Galeatus Mantuanus inter primos sui sæculi heroes, cum forte puellam, quam deperibat, in ponte obviam haberet, illa per jocum hortatur, ut si tantus miles esset, e ponte in ansem amoris sonique causa desileret, ille statim cum equo se præcipitem in flumen dedit, quo exanimato vix natando e Ticino emerit. *Ibid.*

Cæcus statuarius.

Joannes Gambasius Volateranus a prima adolescentia usque ad annum ætatis vigesimum statuariam exercuit. Mox oculis captus per decennium est otiosus, sed perlassus denique inertie, ex contractata Cosmi Etruriae Ducis marmorea statua, fingendam suscepit similem ex argilla effigiem, et adeo labor successit, ut artis miraculum sit omnibus visum, nec aliquid marmoreæ Ducis statuæ potnerit similis reperiri aut excogitari. Romam deinde appulsus similis artificie et manibus attractata Urbani VIII, marmoreæ effigie argillaceam exquisite prototypo respondentem effinxit; et complurium aliorum statuarum efformavit. Ac ne fraus subsesset, ac

injecta simulatæ cæcitatæ suspicio excluderetur, in cæco, et undequaque occulto cubili plastem agere jussus est. *THEOPH. RAYN. in fort. triad.*

Pictor admirandus.

Leonardus Vinci pictor celeberrimus nihil pingebat, nisi prius rei naturam observasset. Hinc aliquando picturam facturum, in qua ridentes exprimeret, selegit certos homines, quos credebatur ad eam rem idoneos, eos invitatos ad convivium variis ridiculis narrationibus recreabat, ut ab ignavis, cur hæ fierent, sonori passim cachinni ederentur vario ridentium gestu et ore, quos omnes diligenter observavit ac animo impressit; is deinde digressis, ipse secessit, et eas omnes ridentium formas delineavit ita feliciter, ut non minus intuentes ad risum imago ridentium provocaret, quam ipsi erant a Leonardo ad risum commoti. *Tract. de pict.*

Alius non potens B. Virginem pingere.

An. 1251. Florentiæ pictor peccati mortalis reus sæpe tentabat imaginem B. Virginis ab Angelo salutatæ pingere, sed nunquam potuit, ut volebat, exprimere; hinc conjectans peccata sua obstare, confessus est. Et ad laborem reversus, dum colores et manum parat, videt caput B. Virginis esse divinitus absolutum, adeo excellentis operis, ut dignum sit, quod credatur ab Angelo factum. *Paplot. l. I. c. viii.*

Rex pictor.

Philippus II. Hispaniæ Rex interdum imagines pinxit, quas velut ab alio factas vendi voluit, et pretium inde acceptum pauperibus erogavit, addens: « Hæc elemosyna est labore manuum mearum parata. » Eas imagines magnates clam de auctore edocti magno pretio emerunt. *Tract. de pict.*

Modestia singularis.

Murarii filia aliquando Regis primaria uxor (formæ enim, non generis rationem Rex ha-

buit in delectu conjugum) semper penes se trullam habuit, parentis olim sui instrumentum. Et si filius ejus, aut indignari cepit, aut insolentius superbire, jubebat ei trullam ostendi, qua usus ejus avus fuisset.

Fideles ministri amandi.

Ynus primus Imperator ea familia Hæia ad monitionem patientissimus fuit. Hinc ante fores palatii campanam, tympanum, tabellam lapideam, ferream, et plumbeam appendi jussit addito edicto, quo prohibe doctisque viris, qui regem monere de re aliqua vellent, potestas fiebat: et his instrumentis illud pulsandum, quod cuilibet causarum generi fuit destinatum. Qui justitiæ consultum ibant, ære campano; qui legibus et religioni, tympano edebant sonum; si regni negotia forent, tabellam plumbeam; si injuriæ a Magistratibus illate, lapideam; si de carcere, a vinculis, ferream pulsabant. Utilia suadenti inclinatio corpore multaque honoris significatione gratias agebat. Aiunt, uno die bis et mensa surrexisset, ut campanam impellenti aures daret; alio die ter balneum reliquisset, ter acutum eo pulso. Aliquando tamen viro primario monenti succensus, qui eum coram proceribus acerbius justo erroris arguit. Ea licentia offensus, mox in palatium se proripuit, itaque tumens statuit monitorem e medio tollere. Conjux ejus cognita irarum causa, regio cultu splendide induta Regem adiit, a quo rogata causam tam insolite elegantie, respondit, magnas habere causas Regi, et sibi gratulandi, quod haberet ministros, qui adulationis expertes verum dicerent; hinc se cultu illo lætitiæ testari. P. MART. l. II.

Renovatio quotidiana usurpata.

Tangus I. Imperator ex familia Xanga, expulso tyranno ad Imperium non sponte sua evehctus, adeo suis civibus fuit charus, ut, si unam regni partem obiret, alii in alia parte positi grave sibi ducerent ejus aspectu et presentia fraudari. Bis voluit renuntiare præ modestia Imperio, sed nihil effecti. Septennio toto eum non plueret, ipse se pro populi salute piaculari victimam devovit, sexies quotidie Deum precatur, ut Deus (seu creulum) placatus populo, se plecteret. Tum

demum imber secutus est. In vasis utensilibus gnomas jussit incidere, ad rem idoneas. Erat inter alia pelvis, quam ipse ad abluendam Sinarum more faciem aqua calida adhibebat, in qua epigraphæ legebatur: « In dies te renova, et iterum eodem die te renova. » *Idem l. III.*

Nero novus.

Kieus Imperator Sinensis tanto erat corporis robore, ut facilis nisi densum funem rumberet, hamumque ferreum trium digitorum crassitie utraque manu arreptum, in rectum extenderit. Fuit hic avi sui Nero; a Vibia dono sibi missa ad omne nefas impulsus. Eam dono per speciem conciliatæ amicitie regulus quidam misit, eo fine, ut Kiei animum ad voluptates traduceret. Kieus autem inter alia stagnum navium capax jussit excavari, ac vino impleri. In ripa illius per circuitum, ad tria millia hominum proni, canum instar inde vinum lingebant potius quam bibebant. Poti ad sylvam proximam festinarunt, quæ carnea dicta fuit, eo quod ex ejus arboribus quotidie boves, apri, cervi, aliaque animalia jam assata penderent, accurrentium gula parata. *Ibid.*

Educatio laudabilis.

Chingi, qui Fao patri successit, moderator Cheucungus Regulus, adhuc puerum Chingum, juxta mortui parentis sepulchrum exstructa domo inclusum cum præceptore, virtuti studere jubet, ipse tutelæ nomine regnum administrat; si quid tunc delinqueret Imperator, Pekinum (ita enim vocabatur præceptor) verberibus exceptit, spectante puero: simul ut ea pena se dignum agnosceret, simul ut deinceps ita se gereret, ne præceptorem suum subiceret verberibus. *Ibid.*

Pulchralis de Regno.

Peyus et Xocius Kinhoi cujusdam Reguli filii erant. Is moriens minimum natu Xocinum successorem nuncupavit, mortuo parente Xocius natu maximo Peyo eedere: Peyus autem recusans nolebat a patris defuncti vo-

luntate discedere. Urgente autem Peyo atatis in fratre prerogativam, Xocius fuga evasit regnandi necessitatem. Secutus est hunc Philosophiæ et quietis amore etiam Peyus: atque ita populus coactus est, fratrem natu medium eligere. Ibid. l. III.

Musica urbis morata indicium.

Hansinius in urbe Lu regni Zu, quam obsidebat, audiens voce ac organis musicis incolas canentes dum mania obiret, coniecit inde in ea urbe, quæ tantopere musica delectatur, bonos mores vigere, ac fide in Regem, cujus causa vetuit ultima pati. Et mox resurandum, quo se obstrinxit, omnes se cives incendio delecturum, rescidit, ac ostentato Hiangi, quod præcisum a suis militibus asserebatur, capite, cives sponte dedito in fidem accepit. Ibid. l. VII.

Eadem morbos pellit.

Gallica Matrona juvenis, ac pia ob mariti quoddam infortunium, quod in bonis passus est, tanto furore præ dolore percita est, ut in momento vellet sibi mortem consciscere, nunc igne, nunc ferro, nunc voluit se e fenestris precipitare, bis voluit se in stagno mergere; donec tandem, post remedia alia frustra adhibita, a transeunte forte P. Capuccino, qui in transitu divertebat, moniti familiares, ut hominem constituerent, qui testudine coram illa luderet, diuque ab ea non discederet; atque ita post tertium mensem curata est. LOVIS GUY *var. lect.* l. III. c. XIV.

Aliud simile.

Aliam Matronam nobilem novit hic Auctor Rothoniagi, quæ in omni vita, etsi varie laboraret, nulla unquam voluit medicina uti nec contra vulnera, nec partus aut podagra dolores; medicinz omni loco constituit sibi, qui tympano, et alium, qui tibia, seu fistula luderet. Cumque aliquando magno podagra dolore urgeretur, jussit cantilenam choreis propriam a fistulatore inflari. Fecit is jussa cum tympano, et tibia, ut præspiritus defectu sui impos deliceret, ac produceret. Remittente igitur sono medico, Matrona, per tres horæ

quadrantes vix sibi restituta, graviter illico cepit laborare, et gravius, quam unquam fuerat. Ubi autem auletes vires, et tibiam resumpsit, Matrona momento sensit se malo levari. Ibid.

Trigoni æstimatio.

Chiutaiso P. Matthæi Ricci in Mathematicis discipulus, vir celebris, cum post multa beneficia in P. Matthæum ægrum toto mense collata, muneris loco ab eo trigonum accepisset, aureis ille utrinque catenulis et carmine exornavit, quo dicebat, ac probare nitebatur, vitrum illud (quod pro gemma habuit) fragmentum esse materiæ illius, e qua cœli constant; vendidit deinde plus, quam quingentis florensis. TRIGANT. l. IV. c. IV.

Actus in arena captatus.

Sclopetarius Lusitanus in regno Tunquinensi animatus dexteritatis suæ in jaculando fiducia Tunquinensem item sclopetarium provocavit, uter rectius metam tangeret. Prior Tunquinensis (et excellunt in hac arte) centrum tetigit; Lusitanus igitur desperatus victoriam, astu usus est; ut enim suo honori consuleret, solo petum quidem ad metam explosit, sed nullo globo oneratum. Cumque vestigium in meta globi quærerent, nec reperirent, exclamavit, per idem se foramen jaculatum esse, quod Tunquinensis fecit. P. ALEX. RHODES *in hist. Tunquin.* l. I. c. IV.

Helveticorum ardor.

Cum Galli Novariam tunc ditionis Mediolanensis, cui præerat Maximilianus Sfortia, oppugnarent, et jam tormentis murum stravisissent ad Agapitanam portam, penitusque adaperuissent, Helvetii, qui intus erant, milites, vim tam instructi exercitus, et Gallorum minas ita despiciebant, et nullum intractos aggerem, more militiæ, nullaque prorsus ad sustinendum invadentis hostis impetum munimenta se erecturos proferrentur, frustra obsecrantibus belli Ducibus Italis, ut transversam saltem fossam juxta ruinas perduci sinerent; quin ad irridendam Gallo-

rum audaciam, qui se mox irrupturos minabantur, nullique parsuros, lectorum linea transversis suspensa perticis contra hiatus prostrati muri prætenderunt, tum ludibrii causa, tum ne intus commentes videri, aut certo jaculo peti possent, coactusque est hostis re infecta urbem deserere. PAUL. JOVITIS t. I. l. II.

Dolor causa mortis.

Erat in bello Hungarico prioris sæculi inter Germanos Duces, insignis Raisachus, Svevus; hujus filius impiger adolescens, cum ignaro patre in aciem podisset, strenuoque decertans, spectante ante alios et admirante virtutem patre, a cunctis effuse laudaretur, priusquam se explicaret, ab hostibus interfectus est. Tum pater equitis ignoti casu vehementer commotus, omni laude ac publicæ honoris funere tumulandum palam prædicat. Id cum omnibus probaretur, cadaver est ad patrem allatum omnibus lacrymantibus ex ejus conspectu: tum pater detecta casside agnovit filium suum esse, et repentino dolore fuit percussus, ut paulo post cadentibus oculis stans ac silens mortuus conciderit. ID. l. XXXIX.

Fraus in auctorem recidens.

Alboinus Rex Longobardorum e Regis Cunimundi, qui tunc in Italia regebat, a se devicti cranio poculum fecit, e quo ad memoriam victoriæ bibebat. Cum autem in solemnium convivio præter alios etiam Rosimundæ, Cunimundi filia, conjugii sui Patavii propinasset ex eo poculo, illud facinus aversata, clam subornatis Paradeo et Hermigio eum dormientem occidi curavit. Post hæc cum Hermigio, cui se desponsare volebat, ceu futuro post occisum maritum Rege, obstantibus Longobardis, quominus regno potiretur, cum Regio thesauro profugit Ravennam. Ibi incidens in Loninum Gubernatorem, ut ejus ultro ambientis nuptiis potiretur, statuit oblata post balneum potionem venenata Hermigium e medio tollere, quam ei fore post balneum salutarem dicebat. At is vim veneni sentiens, stricto gladio eam adorsus, jussit reliquum exhaurire; ita ambo eodem tempore expirant. PIETR. MESS. *sylæ. var. lect.* p. II. c. XXXIX.

Stupendus exercitus.

Glor urbs est in Sanga Regno, ob majestatem et pulchritudinem umbella mundi dicta. Eadem urbs a Mogoris Rege centum quinquaginta millibus peditum, mille cum tormentis bellicis obsessa est; eorum erant quatuor basiliæ, quorum singuli centenis bovum jugis trahebantur: sulphurei pulveris, et pilarum plaustra habuit quinquaginta, elephantes turritos ducentos, signato argento et auro stipendia militum vehicula onusta quingenta. Sed oppidani frustra hostem aliquamdiu arcere conati, præ desperatione in auri, argenti, et pretiosæ vestis acervos subiectoigne accensos se ipsos injocere: quo incendio, quod tres dies duravit, ad septuaginta millia sexus utriusque mortalium assumpta sunt. MAFF. *hist. Ind.* l. II.

Tamerlanis fortuna.

Tamerlanes, qui floruit circa an. 1390. initio fuit bubuleus, aut, ut alii volunt, pauperculus miles, Parthus gente, infime sortis parentibus natus, ingenio et manu promptus, et bellicosus. Cum pæus adhuc puer ageret, per jocum ab æqualibus in regem creatur, jubetque mox omnes dictis suis parere; cui cum omnes jurassent fore obsequentes, jubet omne pecus vendi, et se suaque arma sequi. Ita intra pauculos dies circiter quingentos pastores et bubulos collegit. Horum tyrocinium fuit mercatores expoliare prætereuntes; prædam inter suos optima fide distribuit, ut in dies plures accederent. Id ubi Rex Persiæ rescivit, jubet belli Ducem quemdam cum mille equitibus Tamerlanem capere. Sed Ducem ille ita delinivit, ut ex hoste amicus ei se adjungeret, et jam cum majora auderet. Interea cum Rex Persiæ a fratre quodam suo dissideret, Tamerlanes fratris causam propugnans, victoriam et regnum ei obtinuit. A quo creatus præcipuarum copiarum Dux, per speciem acquirendi nova regna, militem in regem conceit, eique regnum eripit, quod ante coquebat, factus Rex Persiæ. Exin patriam suam Sacacenorum jugo liberavit, et regem se suorum fecit. Paulatim deinde majoribus copiis Syriam, Armeniam, Babyloniam, Mesopotamiam, Scythiam Asiaticam, Alba-

niam, Mediam, et alias provincias, ac urbes occupavit. Fuit in suo exercitu seu tam felix, seu tam prudens, ut in tanta multitudine nunquam esset orta ulla seditio. Erat enim admodum justitiæ observans, liberalissimus, honoratus a suis et amatus, simul metu eos regebat et amore: habuit omnes ad natum intentos. Ejus militia et exercitus videri potuit bene constituta et nobilissima orbis civitas, ubi omnis generis commercia vigeabant et amonæ fuit affatim. Nunquam toleravit furta, latrocinia, vim et injuriam; stipendia liberaliter persolvit. Dicitur habuisse in armis quadringenta millia equitum, et sexcenta millia peditum. Asia minore potius Bajazetem Turcarum Imperatorem vicit, ac cepit, cum is ante Constantinopolim obsideret, ac inde hoc Asia discrimine advocaretur. Is etsi majoribus copiis, quam ipse Tamerlanes habebat, collectis, bellum iniisset ac pugnam, et haberet exercituum militem, ipse Dux fortissimus, victus tamen fuit. Dientur caesa Turcarum ducenta millia. Bajazetem captum Tamerlanes in ferream caveam inclusit, ac secum circumduxit, de micis mensæ suæ pascebat, quas eum cani ei objiciebat. Potius Asia, Arabiæ regem, et Egypti Sultanium vicit. Gaudebat, si hostem nancisceretur fortiter obsistentem, ut in eo vires ac industriam suam ostenderet. In obsidione urbium solebat primo tentorium albi coloris erigere: quo significabat, vite ac fortunarum se gratiam incolis facere, si se dederunt. Altero vero die erigebat rubrum: quo ostendebat, se, cæteris salvis, urbis capita occisurum; tertio vero die nigrum: quod signum fuit, se funditus omnia eversurum. Scribens Pio Pape, vocabat se flagellum Dei. Mercatori Genuensi sibi familiari, ac de crudelitate commenti, quam in deditiosis aliquando cives obvios exercebat, cum summa indignatione dixit, se iram Dei esse. Postquam multa regna ac Reges subjugavit, neminem amplius in tota Asia habens hostem, in patriam rediit, immensus cum opibus, atque ibi amplissimam urbem ædificavit. Tandem obiit ibidem ad extremum felix; filios reliquit, sed patri dissimiles, ac discordes inter se. Hinc Bajazetis captivi filii ac nepotes in Asiam profecti cum exercitu regna recuperaverunt. Idem actum est cum cæteris ejus regnis, ut jam de seipso posteritate nec umbra reliquit, sed patri dissimiles, ac discordes inter se. Hinc Bajazetis captivi filii ac nepotes in Asiam profecti cum exercitu regna recuperaverunt. Idem actum est cum cæteris ejus regnis, ut jam de seipso posteritate nec umbra reliquit, sed patri dissimiles, ac discordes inter se. Hinc Bajazetis captivi filii ac nepotes in Asiam profecti cum exercitu regna recuperaverunt.

aut industria, aut consilium defuit. *Pier. Mar. p. II. c. xxv.*

Cum Appius proscriptum se a Triumviris nosset, opes quas habebat, servis suis divisit, et cum eis navim conscendit, ut Siciliam trajiceret; orta ingenti tempestate, servi eum in lembum demiserunt, moentes nisi a tempestate tutiorem fore, et ipsi cum navis, atque opibus abire: sed ita pro justitia agente Deo, qui tutius se in navi futuros duxerunt, paulo post cum navi demersi sunt. Appius autem quem servi in lembum demiserant, ut mergeretur, in Siciliam ventorum vi incolumis perlatum est. *B. Frlg. l. VI.*

Heliogabali monstra vita.

Contrarius omnino Tamerlano Heliogabali Imperator Romanorum fuit. Fuit is filius Antonii Caracallæ, per omnes libidines infamis: cupiebat in feminam excindi, et amore illius sexus obtinendi, cum diceretur Bassianam, voluit se Bassianam dici, omnes doctos urbe expulsi. Inter hos fuisse Sabinum et Ulpianum Icti. celeberrimi, curavit nunc se trahi a canibus curri junctis, a cicuratis leonibus, nunc a nudis fœminis; nihil edit, nisi quod maximo pretio constaret. Fortis incidebat in auro, et gemmis etiam in calcæis lucentibus. Terram, si equitare vellet, jussit aurea scobe insterni, ac legi. Conclavia ejus et aulæ erant rosæ, violis et liliis cooperta. Nullum indusium bis induit, nullo lintamine usus est loto iterum: nullum calcem bis pedibus induxit, nec annulum eundem bis digitis, qui omnes erant gemmis et annulis pleni. Lampadem domi suæ balsamo instruebant præstantissimo. Matule erant et pretiosissimis lapidibus excisæ. Cibi ejus constabant ingenti pretio. Triginta auri libris, cum esset Imperator factus, cœnavit, hoc est, bis mille ac quingenti nummis aureis seu ducentis. Una aula constabant sexaginta millibus ducentorum. Media æstate in palatium curabat advehi montes nivium. Navigans nunquam comedit piscem, sed aves et carnes procul allatas: procul a mari distans pisces contra expetebat, qui percussores celerim debebant vivi afferri. Raras escas appetebat, que maximo constarent pretio. Sumebat linguas pavonum et lusciniarum, cristas gallorum vivorum. Suam quoque familiam delicatissime aluit pavonibus, perdicibus, capitibus psittacorum, phasianorum et pavonum. Canes alebat plurimos nonnisi anserum pulpa.

Infans a lupa enutritus.

Leones nutriebat carnibus psittacorum, et phasianorum. Instituit munia, et negotia nocturna, diurna interdixit. Ipse a lecto prodiit occidentale sole. Si fuit in portu maris, animi causa jussit omnes naves mercibus onustas demergi: alebat adulatores, moriones ut jaculatores, eos oblectandi sui causa jussit interdum ita floribus et rosis obrui, ut interdum eorum aliqui suffocaretur. Quandoque cibos curabat sibi ad mensam afferri arte in ligno aut marmore expressos, et eos contemplabatur neque cœbat: manus tamen non secus lavabat, atque si edisset, et ad singulos horum ciborum hibeat, et bibi ab aliis volebat. Alias hospites invitabat ad mensam, cujus omnia vasa erant et vitro, mappa autem mensa cibus ad vivum depicti inibi, famem, et uritum famelicis convivis, et solo oculo pastis excitabat. Alias mappas adhibuit acui pietas, ad quovis ferculum novas, immani sumptu. Sæpe invitabat nunc octo calvos, nunc octo gibbosos, nunc totidem podagricos, aut surdos, aut Æthiopes, aut adipatos, aut pumilos, aliosque octo eminentis staturæ. Omne vero aurum, quod mensæ adhibebatur, dono dein ejusmodi convivis dedit. Immane pretium iis persolvit, qui novum cibi aut condimenti genus excogitasset: quod si cibus novus ei laudatus non tamen sapisset, in penam inventorem tamdiu voluit eo solo cibo vesci, dum alium suo palato gratum excogitasset. Amicis sopitis post convivium præ ebrietate, repente jussit in conclaves urso, ac leones immitti, sed unguibus, ac dentibus carentes: quo terrore etsi vano percussus multi obiere; magno sumptu curabat aliunde afferri aliquas ferocissimas bellosas. In omnem mortis casum habebat parata instrumenta moriendi pretiosissima. Habebat funes et serica, si quando necesse foret se suspensio interimere: venenum paratum servabat in ingenti pyxide, smaragdus, et hyacinthis distincta. Altissimam turrim struxit, vestitam intus tabulato ex auro, et argento, unde pendebant multa saxa, et pretiosi lapides, ut inde se precipitaret, si usus posceret; volebat enim, uti insolito more vixit, ita insolito interire: sed vilissima morte sublatus est. A conjuratis enim in parva, et vili lectica, ubi latebat, deprehensus, et occisus est. Cadaver, canis instar per urbem raptatum, et circum maximum, ligatum ad collum ingens saxum in Tiberim projectum est. Senatus nomen Antonii ei abrogavit, et Tiberinum dici voluit. *Ib. c. xxvi.*

In Picardia in venatione luporum captus cum lupis fuit infans nudus annorum circiter septem. Hunc puellum novem menses vix natum pauperuli operarii uxore lignatum egressa, metumque custodum, qui sylvas obeunt, aufugiens e sylvâ præ metu oblita reliquit. Is inter lupos educatur, et illasus, quia forte lupæ ubera sugendo ejus firem lenivit, et in matris studium convertit, tandem duravit, donec post sex annos in alia venatione luporum et ipse captus est. Tum loqui paulatim doctus, et cicuratus est. Unde agnitus est ejus matris esse filius, quæ ipsum olim in sylvâ deseruit. Per septem inde annos pavit oves, quo tempore grex ab eo custoditus ita fuit, ut lupi in eum nihil auderent, etiam cum puer alia pecora pasceret, a lupis erant immunia. Id ubi a vicinis cognitum, ut fruerentur eodem privilegio pueri, alii pastores, aut suum illi pectus, aut ipsum ad pecus adduxere, ubi manu singula attractavit, et saliva sua aspersa etiam canes ad quindecim dies ab incursu luporum servavit. Hinc multum argenti comparavit, de quavis enim pecude, cui manus impositus, duos denarios, sive viginti crucigeros, exegit. Ubi vero attigit annum ætatis decimum quartum eam facultas in eo desuit pecudes a lupis reddendi immunes, manibus terga vel auriculas mulcendo; quin et lupi ante illum accedere impune soliti eum nunc fugiebant. Hinc quia cessabat lucrum, pastorium vitam deseruit, ac malitiam secutus, servus militis, mox miles cordatus ac fortis, sed prædator factus, tandem occubuit anno 1572. a Ducis Albani militibus cum cæteris casus in Flandria, dum contra Hispanos pugnat. *LUD. GUY. t. I. l. II. c. xxx.*

Amor admirandus.

Verona virgo nobilis Julietta et Monteschiorum familia, jam nubilis, insecis parentibus se clam juveni nobili et Capeletorum gente, cui cum Monteschis capitales inimicitiae erant, Romualdo se despondit, jungentes eos Laurentio ex Ordine S. Francisci de Paula. Post avunculus Juliette, cum Romualdum invaderet, is se defendendo avunculum occidit, inde aut sponte profugus, et in exilium a Magistratu pulsus, secessit, Julietta per spe-

ciem confessionis Laurentio casum queritur. Is data medica potione, et quæ ipsam ultra tringinta horas dormientem teneat, ut pro mortua habeatur, jubet sumpto pharmaco in lectum concedere. Ita pro mortua habita et sepulta esse in tumulo, unde Laurentius certa noctis hora habitu sui Ordinis indutam ad Romualdum exulem educeret, non procul ab urbe in alia ditone commorantem. Plerumque enim apud Italos cadavera non in angusta fossa sepeliuntur, sed in cavitatem quamdam fornice clausam deponuntur. Interea servus Romualdi missus Veronam ad Juliettam, reversusque ad herum nuntiat mortuam jam esse Juliettam, se sepulture interfuisse. Romualdus afflictus mutato habitu clam noctu Veronam ingreditur, et a servo adjunctus, cum face apertam a se tumbam ingreditur, et dimisso servo post oscula cadaveri infixæ, ut putabat, lethale virus sumit, et corpori Juliettæ immoritur. Paulo post discusso somno evigilans illa, ubi ad facem illum mortuum circa se videt Romualdum, ejusdem pugione se occidit. Superveniens Laurentius suscitatus Juliettam, videt male a se peractam fabulam, ac postridie rem omnem enarrat. Ib. l. IV. c. iv.

Fortuna varia conjugum.

Adelasia Othonis III. Imperatoris filia pluribus Regibus, et Principibus petita in matrimonium, et a Patre negata clanculo de Saxonis Ducis Filio natu minori despondit, et sumpto secum argento aliquo, et gemmis virili habitu cum eo aufugit, cum illo extra Germaniam victura. In via suis bonis spoliata, et mendicare coacti, multis oris peragratis, coguntur denique in sylvam secedere, inter Astam et Savonam Italiae urbes, ubi carbonariam per octodecim annos exercendo se maligne sustentantur; tandem ab uno filiorum detecti sunt, miserante Deo; filius enim illo Imperatoris arma secutus militia nomen dedit, et quia erat Othoni similis, et ideo habitus est Adelasiae filius, agnitusque, parentum miseram conditionem Imperatori avo detexit. Is data illi venia, auctos magnis opibus, eos in Germaniam revocavit, sibi culpam ejus calamitatis tribuens, quod filiam tandiu reliquisset innuptam. Ibid.

Mortuorum parentatio admiranda.

Cum per centum milliaria cadaver Moguth, Tartarorum Imperatoris, ad montem Alchai veheretur, obvios quosque tam homines quam equos in itinere occiderunt, juxta communem eorum opinionem persuasi, eos etiam in altero mundo Regi servituros: ita ad viginti millia hominum occisa sunt. Præterea per quatuordecim dies eidem, ac si præsens esset, mensa in palatio instructa est cibus, et poculis allatis. Sed hæc non tamen inter Barbaros acta, quoad ultimam partem; sed etiam apud Christianos avo prope nostro. Idem enim in gemina morte Henrici II. et filii ejus Francisci II. Gallia Regum accidit. Cadavera eorum balsamo imbuta, et plumbeo loculo inclusa, sub lecto deposita fuere, qui villosus serico purpureo infectus erat. Supra lectum collocata effigies Regum, aureo panno tectum, regio cultu depicta junctisque manibus. Ad dextram in pulvinari serico rubro sceptrum, ad levam in alio justitiæ insignia, ad pedes in alio pluvinari aureo, crux aurea et paulo inferiori gradu vas aque lustralis argenteum inauratum. Supra hunc lectum pendebat sericum auro argenteoque intextum conopæum. Utrinque duo parva altaria cum candelabris inauratis, cereos albos ardentis sustentibus, etc. Hoc situ per quadraginta dies cadavera mansere; quo tempore quotidie tam in prandio, quam in cœna omnia allata ad mensam, et præstita officia fuere, atque si vivi Reges accumberent: carpti cibi, prægustati, porrecta lintea, et malluvia ad manuum lotionem præberi solita; Cardinalis mense benedixit, præbita phiala, quo tempore Regibus consuetum fuit bibere; dicta post mensam gratiæ; addebatur tamen: *De profundis*: et Oratio: *Inclina Domine aurem tuam, assistebant mense iidem, qui regibus vivis loqui tempore mense solebant. Post hanc quadraginta dierum accumulandi mortualem pompam, nocte una omnis apparatus in nigrum fuit mutatus. Ib. l. V. c. m.*

Mira in hostem clementia.

Inter Tartaricas historias Arabice editas habetur sequens historia; quæ accidit anno Christi 1215. Imperabat Æthiopiae Isaac III. hujus nominis quem nostri communi nomine

Prætejan, sui Beldujan vocant. Juxta hujus regna, Occidentem versus, erat parvum regnum Piamphu dictum, septuaginta sex leucas continens, montuosum, et sylvis plenum, auri et argenti ferax, satisque opulentum; habebat 50. urbes valde munitas. Huic præfuit tunc juvenis, Darius nomine, superbus, et erga Reges, et Monarchas vicinos parum reverens, ac observans, asserens, nullum se Regum timere. E vicinis fuit Cham Tartarorum Imperator; Argon Rex Indorum, et Isaac imperator Æthiopum; ut se contra omnes muniret, arcem munitissimam extruit in edito loco, et inaccesso, cinctam laeubus piscosis, et fontibus instructam. Interea cum Bajam Tartariæ militiae Dux, post occupatas vicinas vellet et Darium esse Imperatori tributarium, aliorum exemplo; negavit se cuiquam velle subesse, ac legatos confestim jussit pedem a ditone sua efferre. Bajam igitur, ut erat jussus, bellum ei inferret. Sed Darius ex alto saxa, et trabes in hostes eo nocumento devolvit, ut intra tres menses quinquaginta millia hostium interierint, et cadavera pestem hostilibus castris inferrent. Itaque tantus exercitus victus, ac dissipatus nihil contra unum Regulum effecit, et infecta re rediit, etiam in reditu, qui fugæ similis erat, ab hoste cæsus. Doluit Bajamo tanta clades, ac dedecus, ut qui ante septemdecim Reges vicisset, ac tributarius Regi suo fecisset. Cui tamen Cublay (ita vocabatur Rex Tartarorum) minime succensuit, cladem fortunæ tribuens. Sed paulo post mortuo, cum tres filii essent inter se discordes, Darius nactus otium, et pacem opulentam, legatos ausus est ad Æthiopum Regem mittere, qui ejus filiam sibi in matrimonium postularent, et quidem primogenitam. At Isaac indignatus hæc Regulum arrogantem audere, affirmat legatis, se Darium si coram addesset, occisurum; sed nec ipsos impune evasuros; mirari se Reguli illius insolentiam, audientis petere filiam ejus Regis, qui septuaginta duo Reges haberet fiduciarios: horum quemlibet esse Dario potentiores: quod vero ei nocere absentem non possit, ipsos coram luitros. Tum jussit adesse septem robustos Æthiopes, qui legatos cum tribus comitibus nudatos jubebantur virgis cadere ad sanguinem usque, spectante Rege. Dein donatos jussit ad Darium prægnantem simiam ferre, uxoris loco dolere se, non potuisse ictus eos Dario infligere, quos ipsi ejus causa tolerassent; atque ita dimisit. Est autem apud

Reges Æthiopes consuetum virgarum supplicium, uti non ita pridem (ait Gædon) jussit suum Cancellarium coram virgis eundi. Darius irritatus eo delectore, ac responso, cum Rege Zeilano contra Isaacum foedus inivit, quod præputio suo præciso stabilivit, factus ex Idololatra Mahometanus, juravitque se nec Christianum, nec Idololatræ unquam fore. Ita exercitu instructus quadringentorum millium, non indicto prius bello Æthiopiam invadit, omnia vastat. Isaac subito convocatis militibus, egressus ipse cum centum milibus, trecenta millia suorum habet obvia, et plures quotidie confluebant. Hostem nactus ad pugnam provocat, dum ejus classis hostiles interea naves in porta exurit. Neque hostis pugnam detrectat, victores Æthiopes hostium ducenta millia occidit, capti 30000. equi 49000. perique magni pretii. Isaac parta victoria Deo se gratum exhibuit publicis supplicationibus institutis. Neque tamen animos hostes posuere, sed anno sequenti majori cum exercitu reversi alio loco Æthiopiam adorti sunt. Vigilabat interim Isaac, et intra tres menses hostem iterum ad pugnam necessitatem adegit. Darius ardens vindictæ studio, dum e Proceribus unum sternit Isaaci, ratus Regem se occidisse, suos jam fugam meditates ea fama revocat, sed iterum vincitur; et extra fines Æthiopiae cum suis ejicitur. Non tamen destitit denuo ad belli societatem sollicitare jam fessos, et quia opes jam erant exhaustæ, a quadam Dynastia Cambalæ in China magnam pecuniæ vim mutuum sumpsit, datis suis filiabus in pignus. Interea Reges de Manvonge (qui postea factus est Christianus Æthiopum ritu) et de Termeda, viri prudentes, et amantes pacis, sancire pacem in Æthiopum Regem, et Darium, ac Mahometanos studuerunt: quod et effecere. Æthiopes quoque insulas omnes a se captas reddiderunt, ac insuper ducenta millia librarum auri, et libertatem captivis omnibus Christianis. Qui vero apud Isaacum essent ex hostibus captivi, si vellet redimi, in capita singula octo libræ auri penderentur, et horum erant 40000. Darius reversus domum, et penitus ere omni exhaustus, damnare bella, et dolere præputii dacturum cogit. Isaac coquebat tacitam in Darium vindictam, quod necem sibi machinatus esset, et in se alios incitasset. Sed quia videbat, eum in suis terris invadi ob annonæ inibi inopiam non posse, dolebat, consilia sua frustrari: ac per duos annos vindictam meditando ac despe-

rando se emaciavit, ut commiseratione sui apud suos crearet, cum esset Princeps bonus et liberalis. Igitur septem juvenes nobiles in aula ejus cœntriti conjurarunt coram Rege, nunquam se reversuros, nisi aut occiso, aut vivo secum adducto Dario. Ita bene precat Patriarcha, a Rege et aula discedunt maximis promissis onerati; et ad Darium contendunt, a quo excepti, rogatique causam adventus, aiunt se fugitivos esse, quod virgins, ob sevitiem in ejus legatos exercitam, et a se coram Rege improbatam, essent cæsi; rogare se transitum ad Regem Groxelan, cui bellum cum alio Rege esset; velle enim se militiam sequi. Sed captus Darius indole juvenum, eos secum retinuit, suasu etiam consobrii sui; qui tamen eos voluit ad explorandam eorum mentem in molestis ministeriis aliquandiu exorceri; et erat suavor ille legatus olim a Rege Æthiopum virgins cæsus. Jussi sunt ergo extra arcem dormire, et Regem cum aliis comitari, quod fecero per quatuor menses. Subindo Javæ majori Rex bellum contra Regem Bantam suscipiens, cogebat Regem petere, qui ei 4200. misit, ducibus senis juvenibus; septimum enim natu minimum domi retinuit. Et ita feliciter Regem illum juverunt, ut semper Javano Rege superior, ex omnibus eum arcibus ante occupatis expelleret. Et hi demum ope Proregis Ommuziani pacem iniere. Ita victores rediere ad Darium, nullis promissis a Rege Bantam retenti, magnis spoliis, et præmiis graves, quæ Darius, etsi oblata, illis remisit. Hinc ita eos cepit amare, ut absque eorum consilio nihil ageret. Quin et legatis olim cæsis dictabant modum Regis Æthiopum occidendi, si bellum denuo illis esset. Tandem cum solis illis septem, et aliquot ephæbis ad venationem leonum egressus est; ubi cum in uno confingendo frustra laborassent, fatigati in sylva, et umbra quiescent, et mox unus e septennis duos ephæbos occidit, omnes Regem invadunt, et equo alligatum per ignotos calles ad maris portam, et inde navigio in Æthiopiam ad Regem suum perducunt. At Rex nihil in illum crudele statuit, sed pastoris habitu indutum jussit porcos pascere, quod per annos duos præstitit. Tertio anno regio denuo vestitu indutum jubet ad se educi, et eum allocutus: « Video nunc, inquit, quam exigua sit potentia tua; quando in tuomet regno captus, in meo subuleum egisti: et nunc, si tollere te velim et medio, nemo est, qui prohibeat; te inquam, qui ausus es filiam

meam ambire, ejus postrema ancilla vix dignus esses; accedit, quod Mahometi te addixeris, et ejus sectæ Regibus adjunxisti. Sed vides utique causæ meæ tutorem Deum. a Darius agnoscit errorem, precatur veniam, et cupit pro mancipio a Rege haberi, felicem se tunc fore. Imperator ei respondit: « Quia te submisisti, et agnoscis te me longe inferiorem esse, ac nihil mihi comparandum, posthac amici loco te habeo: ac totius victoriæ loco mihi satis est, fuisse in potestate mea, potuisse te occidere, si lubuisset. » Tunc jussit naves parari, quibus ad mare, et inde ad regnum suum reduceretur multa nobilitate comitante, regis etiam donis ornatus. Eo tempore Darius, quamdiu vixit, singulari veneratione Isaacum proscelus est, et omnem de se factum posuit. Ib. to. II. III. c. II.

Summa clementia usus est Justinianus primus Imperator in Vitigem Gothorum Regem populi Romani hostem cum a Belisario captivus Constantinopolim missus fuit, quoniam non ut hostem captivumque, sed ut amicum habuit, patria enim dignitate decoratum, magnæ eum provincie Persis finitimæ præfecit; ubi honoris et opum plenus aliquod tempus vixit. Ib. to. II. I. III. c. IV.

Vesperæ Siculæ.

Postquam Anno 4267. Carolus Andegavensis invasor Siculi Regni, evocante ad id Clemente (non, ut alii, Urbano) Pontifice, Conradinum Suevum Duem, et legitimum regni illius heredem, bello vicit, et a fuga annuli indicio, prodente nauta fuit cum Friderico Austriaco Neapoli capite plexus, Gallicæ copias, et ministri in Sicilia omnia rapinis, et libidine complebant. Hinc instigante præcipue Joanne Prochyta, cujus uxorem deperibat, Siculi conjurarunt, omnes se Gallos ad unum interfecturos, quotquot in insula essent; id factum est 4281. ipsa die Paschatis, et conventum fuit, ut, cum daretur campanis signum ad vespertas, omnes in Gallorum necem ruerent. Ita intra duas horas cædes Gallorum facta, et excidium, nec feminis, nec parvulis, nec senibus indultum, si que femina nupta Gallo uterum gerebat, e dissectæ utero partus evulsus. Ultra novem millia occisa, ducenti, vel trecenti in arce securi conditionibus certis vitam soli servarent. Martino dein Pontifice Gallo, nequic-

quam ulcisci gentis suæ injuriam volente, Siculi Petro Aragoniæ Regi se dederunt. Et ex eo tempore Sicilia penes Hispanos in hunc diem mansit. TULLIOS I. V.

Matutinum Pasiense.

Anno 1374. Parisiis fuere Matutina S. Bartholomæi æque cruenta Sabbato in Dominicam urgente. Tunc enim, ut Protestantes, quorum tunc admodum insolescentium dux fuit Admiralis de Castilón, cum suo duce tolleretur et medio, qui magno numero et pompa nuptiis Henrici Regis Navaræ cum Margarita Regis Galliæ Caroli XI. sorore, et Principis Condæi cum Marchionissa de Isle aderant, una hora omnes occiderentur, duabus horis post mediam noctem 24. Augusti campanæ ad S. Germanum datum est signum. Tunc edita strages, nulli utati ac sexui indultum. Alii prætextu religionis etiam hostes suos Catholicos occidere; alii etiam suos fratres, et cognatos hereditatis obtinendæ studio. Cæsa dieuntur sex, ab aliis octo, ab aliis etiam duodecim millia. Hos inter primus fuit Gasparus de Coligny Gallicæ, ut diximus, Admiralis: eodem furore occubuit Petrus Ramus, eloquentiæ et Philosophiæ Professor Parisiis. Hanc sevitiem aliæ quoque urbes Galliæ in Hugonotos secutæ sunt, ut mense non toto viginti millia eorum sint cæsa. Sancerre urbe Gallicæ quidam præ rabie evulsus hominis occisi cor crudum devoravit. Ib. I. IV. c. II.

Stratagemata elusum.

Tempore Michaelis Orientis Imperatoris Arabes parabant Edessam actu occupare. Quare duodecim et præcipuis secum quingentos camelos duxere, quorum quilibet in duabus utrique cistis duos milites latentes ferebat. Fingebant hi, se dona Imperatori ferre, et securitatis causa petebant in urbem ea nocte recipi. Interim mendiculus Armenus, peritus linguæ Arabicæ elemosynam petit ab iis, qui nondum urbem erant ingressi, et audit militem e cista vel corbo rogantem ceteros, ubinam locorum modo essent. Mendiculus igitur ad urbem festinus gubernatori rem narrat. Is duodecim Primatibus convivium instruit, ac secum retinet. Eodem tempore cum suis urbe egreditur præsidariis, et

e coribus extractos Arabes ad unum necat: tum duodecim duectores occidit, excepto uno, qui manibus, ac naribus mutilatis rei gestæ nuntium ferat. PLANCK. ex Pulgoso. I. I. c. III.

Martyres idolorum.

In regno Indiæ Garoopa, et civitate ejusdem nominis, Pagodes idolum magno ritu, et curru circumvehunt. Rolæ currus præmientes habent clavos instar novacula acutos: durante supplicatione multi accedunt, et Pagodi vitam suam conserant: flexis enim genibus humi profunde prostrati rotis currus se subjiciunt, a cujus simul pondere oppressi, et rotarum aculeis acieque minutim secti, pro sanctis, deinde, et Martyribus habentur. Multi se alii ante currum ita sauciant vulneribus, ut mortui ante idolum corruant. Horum Pagodum supersticioso cultui mortuus Rex Cochinchensis non ita pridem mortuus, habitusque pro viro prudenti, et gubernandi perito, aliquando gubernatione posita, pauperis habitu quinque annos ad Pagodes Indas solus, et ignotus peregrinationem instituit, multa, idoli gratia, proba, et miserias perpressus, ceu apud nos Alexis aliquis. Reversus ad Imperium, dum iterum similem peregrinationem suscipit in itinere moritur. Ejus filius, et regni hæres patrem secutus, quotidie multas horas domi se inclusit conelavi, ubi cultui Pagodum vacabat; et cum esset ægro corpore, ea severitate, destructa valetudine, ultra annum regnum, ac vitam non tenuit. Monitus a medicis, ut sibi parceret, neque longis precibus, solitudine vitam sibi faceret breviorum, respondit, pluris se facere minimum pietatis in Pagodem exercitum, quam mille vitas, quas tamen omnes, si totidem haberet, libentissime in Pagodum suorum cultum impenderet. ANTON. CONVEX. hist. Orien. I. III. c. VI.

Mater a filio male tractata.

Mater quædam exprobatat filio, quod ab illo male haberetur, cum tamen mater esset, et novem mensibus eum in utero getasset. At filius illudens matri: « Cum me concepisti, inquit, voluptatem, non me, quærebas: cum tulisti utero, et genuisti, non potuisti naturæ cursum impedire: at officium, quod erat proprium matris, lactare scilicet uberi-

bus tuis, mihi negasti et ab ortu meo me a te repulisti. » CORDUS c. iv. §. 2.

Puella urbem sercat.

Cum pressi arcta obsidione, et fracti insultibus incolæ insulam, ac urbem Mitylenen dedere jam cogitarent (quæ, et Lesbos dicitur) et jam Genuenses, qui eam tenebant, et cives impares defensionis se putarent, puellas eos hortata, et precatâ est, ne Christi causam contra infideles desererent, et arma inducens, mœnia, quæ quassabantur, accessit, tallaque edidit facinora, ut ali omnes exemplo permoti, mutato consilio, urbem ruerentur, ac tandem Turcarum stragem ederent, ut vix tertia pars hostium ad naves redierit. Ea dicta est a quibusdam Ariana, filia Græci Sacerdotis. Ac facinus hoc editit post Joannam Gallicam annis septuaginta tribus. lb. l. III. c. u.

Salomonæum iudicium in prole agnoscenda.

A scorto Romano Germanus miles abiit, quo diu abutebatur, exercitum secutus: postridie in amores Hispanus involat: meretrix post novem menses, cum Germanus rediit, elegantem prolem masculam enixa est, uterque voluit esse parens. Litem Philippus Archintus urbis Gubernator decidit, puer, bellarys, quæ situm provocarent, data opera datis, a Gubernatore delinetur, dum sitiât: rogatis, num libere placeat: cum infans e binis vini, et aque lagunculis, quæ offerebantur, frigidam strenue hauriret, Germanus eum, ut degenerem, aversatus, utro causa cessit, magno astantium plausu, et Philippi laude, qui inde Salomon a suis dictus est. lb. l. IV. c. i. n. 3.

Podagra curata.

In Gallia quidam podagra erat sellæ misere affixus sine spe convalescendi. Erat ibi homo stultus e Burgundia, qui scelopum nactus, cum aliam jaculandi metam non haberet, exoneratus animi causa, in ægrum collinam, et jam paratus explodere, jubet obvium sibi quemque consilere. Æger ubi videt, ni

fugiat, actum de se esse, nec a quoquam juvaretur, ut evaderet mortis periculum oblitus podagræ fugit, insequentem dein ac globum exultabunde explodere gestientem stultum pari celeritate conatur evadere, donec ea festinatione penitus convuluit. Gaudens igitur se metam laborum contigisse, stulto sua extorquet arma, et ad suam reversus, sellam, fulera, baculum, scelopum, sphynxem in fasciam compingit, et incendit. STRÆP. BIXET. in Schola agror. c. iii. §. 4.

Oculi effossi restituti.

Scribit Franciscus Guicciardinus, Hippolytum Estensem Cardinalem amasse puellam, cujus formam, quia timebat, fratri suo Julio fore obnoxiam, querit ex puella, quid potissimum in Julio amet: respondet illa oculos. Julius ergo mox in venatione insidiis fratris oculos amittit, omnino erutos, quos tamen medici tam apte restituerunt, ut iis posset ut ante uli. FRANC. DE ROSET. post host. 5.

Mutatio fortune.

Quidam ab Anneberg in Misnia ex auri aliorumque metallorum fodinis in eas opes exerevit, ut cuivis Principi par esset, quoties in publicum, vel balneum vehebatur multo comitatu cinctus, substratos pretiosos tapetes auro illuos calcabat: in balneo deaurato, vinoque malvatico macerato pane pedum soleas patiebatur sibi alteri fricariæ, ut exin magis ad cibos, et potum excitaretur. Ac demum in eam paupertatem incidit, ut ante templorum fores, et ostiatim mendicaret. ZEUL. cent. 2. ep. 37.

Frigus mirabiliter pulsum.

Bernadus ab Harfeld, dominus in Waldenberg, cum per septentrionales regiones Lisländia, Islandiæ, etc. rheda veheretur, vinum juvenem frigore prope extinctum, et rigidum rheda imposuit delatumque ad hospitium, hospiti curandum tradidit, qui hominem toto corpore in frigidam demersit; unde cum extraheretur, frigus extractum e corpore fuit, totumque corpus velut crusta glaciæ fuit obductum: tum hospes ei poculum

mulso plenum mixtumque contuso cinnamomo, cariophilis, flore moscatæ obtulit, lectoque bene textit ad sudorem usque; ita convuluit, nisi quod extrema acumina digitorum dentiumque excidere. lb. *Epist.* 52.

Conscientiæ remorsus.

Hospes in Germaniæ celebri urbe cervum habebat, qui hospitis filiam sæpius pro conjuge a patre petebat, sed negabatur, licet ipse probe cætera cum fide domi administraret. Interea hospes cum conjuge, et filia thernas adit, administratione domus servo committit, qui mercatorem illic divertentem clam necat, spoliat, et in stabulo sepehit. Reverso jam domino, fingit se litteras accepisse, quibus juberetur, patre mortuo domi hereditatem adire: abit ægre ob fidem indulgentem hero, exhibitus prius octoginta ducatis, velut in subsidium vice domo missis, paulo post redit iterum auro gravis, et spe majoris domi repositæ fortune ab hospite filiam impetrat; vivit cum illa honeste, fit Senator. Porro in Senatu aliquando sententia capitis ferenda in latronem erat, cum ille sceleris conscientia prope excruciatu statuit se magistratui cædis reum prodere. Mane ille ab uxore laute se cupit haberi, se et male habere, et causam debere gravem ac diuturnam in magistratu ferre. Apponitur inter alia caput vituli, quo ille conspecto, humanum caput, exclamat, apponitis: persuasus ægre vituli illud caput esse, parum de cæteris libat. Dein in curia jussus sententiam in latronem dicere, se ait cædis reum, sequo nil aliud petere, quam ut simplici confessione contenti, tormentis abstineant plura elicere, se hujus unius sceleris conscium, petere, ut lata in se capitis sententia, morte conscientie supplicia evadat. Laborare primo animo creditur, cum constanter idem diceret, tandem cum latrone in foro capite plectitur. SCATZKAMMER rerum memor.

Ludus puerilis infelix.

Anno 1534. 21. Nov. in pago quodam prope Anneberg rusticus vitulum jugulabat, viscerabatque, spectantibus parvulis liberis, qui, absentibus paulo post parentibus, patrem imitaturi, in cunis jacentem parvu-

lum fratrem cultro jugulant, quo facto in furnum, aliqua sceleris puerilis conscientia impulsus, se abscondunt; donec mater cæde visa reliquos in furno reperit. Ibid.

Homicidium mire detectum.

Lucensis, quidam mercator in Guglia diu commercia exercebat, ibique morabatur; cum desiderio patriæ Luca domum conducit, post, sex menses secutus, et ibi reliquam vitam exacturus. Igitur ex Anglia cum Gallo famulo profectus, venit in civitatem Rhotomagum, ubi aliquot dies moratus, viam et iter Parisios instituit; cum prope urbem Argentillam montem conscendit, a suomet servo occiditur, cadavere in proximam vineam conjecto. Paulo post eodem die cæcus cum duce cane præterit, qui audito ejulatu vocis auctorem sciscitatus, ab ipso latrone docetur, ægrum quemdam decessisse. Cæcus ita pergit, et famulus ditatus Parisiis debita extorquet, exhibitus in eam rem syngraphis. Interim in Italia toto anno mercator expectatur: tum amicis ex Italia in Angliam hominem ablegat, qui de die discessus ejus Londini edoctus, Rhotomagum redit; ubi intelligit, ante sex menses hinc mercatorem divertisse, aliud se nescire: nuntius magistratui rem indicat, qui severi tribunalis judicem, et Mamecum Bigot Regii consilii Roaneensis Advocatum jubent, inquirere. Judicis jussu primo lictores jubentur explorare, num quis a sex vel septem mensibus tabernam aperiverit. Exploratur quidam; tum judex fingit litteras debiti duorum millium coronatorum, quos mercator ille novus sponderit, se oppignorata vita, et fortunis certo tempore soluturum. Jussus mercator solvere, negat, se debere, hac occasione negantis ad carcerem ducitur; in via imprudenter mercatori excidit, hanc rem se facile diluturum, sed num aliud judex molitur? Lictor, quid fecerit, scripto judici tradit; qui nixus imprudenti mercatoris questione cum solo agit humaniter: se quidem colore alieni debiti eum captivum habere, rem autem aliam latere; certum enim se esse, ab eo Lucensem civem occisum; se, licet testes non desint, malle rem silentio transigere. Mercatorem hominem exterum, et ignotum Patronis carere; ipsam, si sibi non desit, facile posse elabi. Hoc dicebat judex, velut aurum sitiret, quo speraret se corrump-

pendum, licet nihil minus cogitaret. Tum latro, divinitus hoc evenisse, ut res detegeretur, se soli rem dicturum. Tum iudex ratus rem salvam fore, scribam publicum vocat, qui dicta consignet. At reus videns aliud agi, negat omnia, et in carcerem re infecta mittitur. Ubi ab aliis captivis edocuit, ad aliud tribunal appellat, iudicemque ac licetorem reos agit, et quidem falsi ob fictas debiti litteras. Citatus ergo iudex magistratui seriem omnem recenset, quo facto aliquantum quiescitur. Bigot vero clam Parisios profectus, facinoris indicia collecturus, prope Argentillam docetur ab illius loci Praefore ab aliquot mensibus in vinea cadaver jacere, prope a canibus, et corvis depastum: cuius rei testes tabulae Bigoto datae. Dum hæc fiunt, mendicus ille cæcus, a Bigoto stipem petit in hospitio, qui cæcus, ubi de illorum controversia audivit, recenset, quæ nuper prope vineas evenissent; Bigotus ex illo querit, num hominis, quem tunc compellasset, vocem nosset? Respondit ille, se non dubitare. Quo dicto Bigot secum Romam mendicum equo ducit: Romæque causam, et cæci sermones, ac indicia exponit. Cæcus igitur denuo a Magistratu rogatus, omnia repetit, neque dubitare, quin e voce sit angiturus homicidam. Tunc ad reum a longe ducitur, ac sine mutua compellatione ad eliciendas sceleris notas exhibetur. Mox viginti homines temere jussi singuli loqui, quibus auditis rogatus cæcus, num quis hominum esset? Respondit, neminem ejusmodi vocem habere. Ultimo, cum reus loqueretur, ait, hunc ipsum esse, quem nuper in vinea respondentem sibi audisset. Sed ne fraudis iudices possent argui, aliquoties ista vocem permixtio facta est; semperque a cæco idem responsum, quo facto ipse latro pro reo habitus, et tortus, omnia fassus est, denique nota fractus. Ibid.

Constantia in urbe defensa.

Rex Castellæ Sanctius Tariffam (olim Carceja, sive Tartessus) de Mauris cepit, sed anxius tenendi ob hostium viciniam, et immanes sumptus, suscepit ultro in se curam Alphonsus Peresius Gusmanus, Bonus dictus, et partem stipendii de suo daturum promisit, Rex alia ageret. Paulo post frater Regis Joannes ad Maurum transit, et copiis ab eo acceptis Tariffam obsidet. Cives nil

trepidant, et obsessi. Interim filius Alphonsi in agris interceptus, capitur, et ab hoste ad evincendam deditionem ostenditur, interfectus se, nisi Alphonsus urbem dederet. At ille negat, si vel centum filii periclitentur: gladiumque ad interficiendum filium per incenia dejecit, ita abit, et prandet. Mox ejulatus civium denuo vocat, querentique Alphonso, quæ consternationis causa, refertur, filium a Barbaris occisum: « Hoc erat, inquit, credebam urbem ab hostibus captam. » Ita parti tranquillitate ad mensam, et uxorem rediit. *Lrsus mon. polic. l. I. n. 7.*

Vanitas rerum mundanarum.

Gilmer Rex Wandalorum, in Africa a Belisario victus, in excelsum Numidie montem Pappum fugit. Illic aliquandiu tolerata obsidione, desperans ad Pharam misit, a quo Belisarii imperio obsidebatur. Actum super deditione, simulque petito, panem sibi mitti spongiam, et citharam. Panem levandæ fami, spongiam siccandis oculis, citharam leniendo animo. Dedit ea Pharas, et mox se Gilmer, qui ad Belisarium deductus, nil nisi risit. In ipso triumpho Byzantii ad Justinianum, et Theodorum Augustos adductus, id tantum dixit: « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. » Oro. l. II c. xii. n. 11.

Judicium hominum perversum.

Polyeletus eodem tempore duo simulacra sculpsit; alterum ad arbitrium plebis, alterum juxta artis leges. In priori ad singulorum hominum accessum, et mentem transposuit, et commutavit aliquid uniuscujusque judicio obsecutus. Ita proposuit utramque: alterum, quod omnes sunt admirati, a populo vero mutatum toties risere. Tum ille: « Atqui illam vos fecistis, alteram ego. » *Ælian. l. IV. c. xv.*

Augusti humilitas umbratilis.

Augustus Cesar, templa, etiam alias pro Consulibus poni solita in nulla provincia, nisi communi suo, Romæque nomine suscepit. Argentæas statuas sibi positas conflagavit

omnes, et inde aureas cortinas Apollini Palatino dedicavit. Dictaturam magnam ei offerentes populi, genu nixus, dejecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus est. Domini appellationem ut maledictum, et opprobrium semper exhorruit. Cum, spectante eo, pronuntiatum esset: O Dominum æquum, et bonum, indigno tulit, atque edicto vetuit, se Dominum dici; nec a liberis quidem vel serio, vel joco. Oppida ingredi, egredique aut mane; aut noctu, solebat, ne quem officii causa inquietaret. *Sueton. in vitam Augusti.*

Equus stulte honoratus.

Caligula, equi (cui nomen Incitatus erat) stulto amore captus pridie Circenses ludos, quos equi causa indixerat, ne inquietaretur, viciniam silentium per milites indicere solebat; preter equile marmoreum, et presepe eburneum, præterque purpurea tegumenta, ac monie gemmis, domum etiam, et familiam, et supellectilem dedit, quo lautius nomine ejus invitati haberentur, Consulatum quoque creditur destinasse. Idem in CALIG.

Partus mirabilis.

Auco Rex tertius regni Tunquinensis, prolis loco monstruosum partum habuit, centum scilicet ova uno involucre, quæ deinde pullorum instar sunt suis ovis exelusa, centum masculi. Ne vero olim inter eos rixæ orirentur, facta est separatio. Mater eum quinquaginta filiis in montes secessit, Pater cum totidem mare petiit; facta divisione regnum accepit Huvuong, et ex hac familia Reges octodecim secuti sunt; donec deficiente prole mascula unicam Regis filiam montani simul, ac marini heredes prensarunt. Tandem Rex decrevit ejus fore filiam, qui prior ei (gentis more) dotem afferret. Prevenit maritimus: quare montanus indignatus tantum non desperavit; et cum marito, Thui-Tinh dicto, inimicitias exercuit. Unde montanus, San-Tinh dictus aquas mari quinquendo subtraxit, ne flumina intrarent. Unde hæc aquis destituta navigationi reddebantur inutilia. Ex ea fabula nata est opinio, etiamnum retenta, fluxum, et refluxum maris esse certamen, quod a duobus illis rivalibus

originem habuit: et si vident fluxum maris retro flumina agentem, aiunt, Thui-Tinh bellum montano facere; si autem aqua refuit, a San-Tinh hostem maritimum repelli. *S. MARTIN. l. I. hist. c. 1.*

Victoria mirabilis.

Exciti cives, et incolæ Tunquinenses jubebantur arma contra An Regni Tunquinensis invasorem ferre, cum in ditone, Che-Dao dicta, triennis infans loqui matri, et agere de bello incipit. Accito etiam Mandarinum, tunc inibi milites cogenti nuntiat, Regem velit adire, rem ejus bono loco, et salvam fore; modo sibi mittat ferreum equum, et centum sportas oryze, ac totidem vini boni mensuras, eam annonam ut accipit, in præsentia plurimorum omnia absumpsit. Dein equum ferreum consendit, et virga ad cursum incitat, ut volare magis quam currere videatur, quo in cursu viam ita aperuit, disjectis stirpibus, ac ramis, arborum ut regi exercitus laxè transire potuerit. Tum vero, dum hujus ope Rex hostes triumphasset, puer rebus gestis elatus, indignatusque minor meritis præmia sibi a Rege dari, in summitatem montis cum ferreo suo equo enisus, inde uno saltu in cælum penetravit. Oro.

Pipinus Rex cum cætera Italia Gallorum dicto pareret, Venetique soli omnium suæ memores libertatis, patriæ jura tuentur, littoralis ora Gallicis armis domita, Rivo alto, (sic enim dicta est pars urbis celeberrimæ) minaciter imminēbat, aderatque Pipino ingens exercitus, et cui ne Italia quidem tota, non modo Venetiæ partes consistere posse crederentur: verum modicus armatorum numerus in cymbis sedentium validissimam ratem, qua Galli vehebantur primo fatigavit: inde vento Venetus adjutus Gallicos conatus non solum fregit, sed hostem aequarum angustiis colluctantem adeptus, partim ferro confecit, partim soluta rate medio stagio depressit. *SABEL. l. VI.*

Sumptus inauditio legatus exceptus.

Quidam Rex Tunquinensis, ut ostenderet, quanta in regno suo esset serici copia, insanos sumptus fecit. Excepturus enim Imperatoris Chinensis, a quo, ut ejus tributarius, novum supra alios Reges titulum petebat,

legatum toto suo regno jussit promulgari, ut quicquid serici in toto regno per triennium colligeretur, suis impensis exquisito laboraretur; et ut vassalli essent ad hoc promptiores, omnia eis tunc tributa remisit. Ubi autem intellexit, legatum ante monitum a se per nuntium, in procinctu esse, curavit viam omnem Damasceni operis serico internari ac ornari, quamvis longa et lata ea esset: hoc est, a Chinensis Regni finibus usque ad Regiam suam urbem, ita quidem ut et solum incedentes Damasceno serico exciperet, et superne umbella instar corinthe regeret. Accedebat ad viam majestatem, quod et obstantes montes aquarentur, et valles impleverentur, et oblique fierent rectæ viæ: flumina vero pontibus jungerentur, ita ut totum iter rectissima linea duceretur, nec aliud supra vel infra quam sericum appareret: quo etiam columnæ fuerant obductæ, quibus tentoria seu perpetuus papilio incunabatur. *PHILIP. de marinis. l. II. c. II.*

Regentis laus unde petenda.

Confusius Chinarum Plato cum ad urbem accederet, quam unus e discipulis suis gubernabat, Zu Lû dictus, totus gestiens exclamabant: « O quam bene gubernat Zu Lû: » idque repetit, cum in urbe fuit, ac tertium dixit, cum ejus palatium intraret; rogatur a discipulorum uno cui Zu Cun nomen, cur ter Zu Lû laudasset, priusquam de ejus moribus et gubernandi ratione fuisset edoctus. Cui ille: « Quid necesse est, inquit, inquirere in ejus vitam? Annon clara voce agri loquuntur bene culti, viæ bene stratae, aqueductus integri, vineæ cultæ, arata terra, horti fructibus et peregrinis arboribus pleni. In urbe ipsa ædificia sunt restaurata, muri refecti, et munitionibus firmati. In palatio autem vidi aulam, ad descendas causas factam, non litigantium jurgis perstrere, se tandem agere, ut patrem inter filios. Ibidem.

Stultitia Regis sapienter correctæ.

Rex quidam Trauacorris invadebat Brachmanibus, quod eorum origo sua, qui Rex esset, nobilior haberetur; quare unum e Brachmanis rogat, num fieri possit, ut et ipse salva Regis dignitate posset fieri unus e

Brachmanis? Cui alter respondit: « Facile id esse, si curaret fundi vacca auream intus excavatam, et ita capacem, ut ipse in ventrem introire, vel utique noviter conceptus posset per ejus os exire. Ibi enim in eo ventre posse illum Regis, et Brachmani personam nancisci, ut rex sit simul et Sacerdos, prius non admittens et secundum nanciscens. » Rex gaudio gestiens curat mox vaccam ex auro fieri, et eam jam senex subintrat, et per os exit jam novus Sacerdos, et festum haberi eum diem, ut natalem suum, voluit: ac ut esset facti memoria letior, illius anni tributum populo remisit. Interius Brachmanes aurea vacca oeu spolio gaudebant. Hunc errorem Regi quidam e vulgo ingeniose detexit. Ubi enim didicist diem huic secundæ natiuitati dicatum, cum jumento in foro apparet, quod erat macrum, gracile et parvum: illud spectante Rege pectinabat churmo pectine, aqua odorata lavabat, blandiebatur manu, ac lautius ei pabulum dabat, ita denique tractabat, ut Rex inde recreatus scire voluerit, quis ille jocularum esset. Ubi vero intellexit, eum hominem prudentem, ac ingeniosum esse, ad se vocatum rogavit, cur ita blande asinum illum tractaret? Cui alter respondit: « Ut asinus iste fiat equus. » Tum Rex, « Recte dixi, inquit, hunc hominem stolidum esse: quis enim unquam vidit, asinum fuisse mutatum in equum? » Cui alter: « Ego, ait, stolidus habeo, quod ex asino fieri equum velim, et Rex ille sapiens, qui sibi persuadet, posse se e Rege fieri Brachmanem ex aurea vacca? » *Orô c. xx.*

Fraus admiranda detesta.

Bonzii Tanquinenses, ut ipsi Christianorum more, viderentur, mira patrare, in eum finem juvenem educarunt, stolidum, et præ atra bile ita stupidum, ut verbum proferre nullum posset. Tum vulgarunt passim, illum esse idolum e celo dimissum, volentem in ipsorum monasterio habitare, Deum spectabilem se reddidisse. Crediderunt omnes vera dici. Unde undequaque multe ac lautæ veniebant elemosynæ, et ut plura dona consequerentur, idolum vivum passim per pagos circumduxerunt serico et auro tectum idoli instar, etp agi illi oppidum beatum credebant, cui licuit illud excipere: hinc passim adorabatur. Tandem favente fraude ausi sunt Bonzii etiam civitatibus idolum suum inferre,

triumphi instar. Fuitque summa pompa et veneratione receptum. Gubernator Provinciæ Australis ad se quoque evocavit, et licet Bonzii sibi male conscii timerent, fraudem suam detectam esse, aut detegendam, ubi tamen videre Gubernatorem flexis genibus idolum venerari, fronte in terram demissa, laudabant. Ita probe ditati et saginati Bonzii metuebant, non tandem fraus pateret. Statuunt igitur idolum occidere, ac publicare, idolum in curru igneo velle ad coelum remeare per ignem. Fama ad Regem defertur et Regiam: a quibus ut et cæteris ad tam longum iter multiplex annona et munus offerebatur. Bonzii dein locum deligunt, Phuon-Tax dictum, ubi ingens theatrum fecere, et ingentem ligni struem ac materiam igni obnoxiam accumulaverunt, ut cito Deus conflagraret. Tum idolum potu incantato fecerunt sui impotentem, et sine sensu, ac regio more vestitum, cum regia corona et sceptro inter plausus, et populinum acclamationes in theatrum elaxerunt, et rogam inibi positum. Et mox acto ingenti silentio, Gubernator primus omnium idolum adorat, tum alii ab eo precantes salutem corporis, opes, thesauros, et bona hujus vite alia, in quibus suam felicitatem ponunt. Immobiles ille Pagodes et extaticus videbatur eam personam cum majestate tueri. Finita oratione, e summo illum Bonzii in pyræ fundum dejecere, et mox accenso rogo ex omni parte vivum exussere: ubi mox suffocatus interit, ac ita combustus est in cineres, ut ejus nullum vestigium superesset, id quod Bonzii volebant, ut dum nihil de ipso videretur restare, crederetur in igneo curru ad celos evolasse. Bonzia tunc allecta tanto honore, qui ei dolo habebatur, et animata a Bonziis ac persuasa, statuit exemplum sequi; ac et ipsa ad coelum hac via abire, ac esse Regina. Jam enim illic regem esse præmissum, qui eam in coelis coronaret. Applausit populus, favitque Bonziæ: quare exitu eodem vitam finitura in eundem se mox rogam injicit, et pari modo consumitur. Ut autem deinceps hoc facinus Bonziorum non erumperet in publicum, matrem idoli exusti subornarunt, e vulgo foeminam, ac os ei 60. scutatis obturare nisi sunt: sed tamen res tandem erupit. Idem l. IV. c. IV.

Perfidia raro supplicio punita.

Ante paucos annos Bassa, cui Babylon erat

TOMUS V.

commissa, ultimum sibi supplicium a Turcarum Imperatore metuens, ultra ad Regem Persarum, Abbas nomine, confugiens deditionem urbis illi obtulit. Sed mutato consilio illum advenientem delusit. Tandem ab ipso obsidetur et capitur, et ut duobus Regibus perfidus inaudio supplicio perimitur. Nam per triginta dies opipare vescens dormire prohibetur: cum autem somno pressus, dormitaret, statim præacutis stimulis confodiebatur. Sic intolerabili mortis genere perfidiam luit. *PHILIP. a S. Trinit. Carmel. in itin. Orient. l. II. c. VII.*

Judeis non fidendum.

Cum Judei ex Hispania essent pulsati, unus horum Christianum rogabat, ut se securitatis causa ad Castellæ limites comitaretur. Hoc ubi Christianus fecit, in digressu Judeus valedicens Christiano: « Fuit, inquit, inter nos magna necessitudo; sed cum tibi summa darem benevolentia signa, scias, me te intus capitali odio persecutum. Quare hoc documenti loco a me vetus amicus tibi videatur, unquam fidere. » Idem l. VI. c. V.

Dicitia divini amoris in nos signum.

Nigritæ olim circa annum 1504. ubi cum Christianis consuetudinem inire, illic commercii causa adventantibus, nostram legem Mahometi præterire ut sanctiorem: sed ideo, quod Christiani essent locupletiores, addebant: « Nos, utique a Deo nostro valde amari, quod tot largiatur divitias, et tot animi corporis dotibus honestet: neque posse hanc legem nisi a bono conditore proficisci. » Legem interim suam non deserebant: sed in utraque lege dicebant locum esse salutis. Eorundem Nigritarum Princeps Aloysio Cadamusto dicebat: « Nostram quidem legem sibi probari, suam vero ad salutem esse faciliorem. » « Vobis, inquit, deinde, datum est presentibus bonis frui, et erit presens vita vobis pro Paradiso; nos vero quia adversis varie exercemur, scimus, non defuturam æternam felicitatem, quia tolerati laboris, et malorum premium nondum sumus consecuti. » *ALOYS. CADAMUST. in navig. cap. XXVI. et n. 3.*

Hominum devoratio.

Vidi (ait Auctor cit.) quemdam perditissimum hominem, qui gloriabatur, se supra trecentos viros devorasse. Vidi etiam in domo cujusdam Indi carnes humanas non secus salitas pendere, ac apud nos suilla, vel alia caro fumo durata suspenditur. *Vsprecc. in navig. Americ. c. xvii.*

Mahometis sepulchrum gloriosum.

In urbe Medinathalhabi templum quadringentis columbis fulcitur; Mahometis vero sepulchrum tria millia lampadum ardentium habet. Verum corpus ejus non exstare. Dux agminis, qui caravane in Americam abeundi præerat, sic indigavit, dum evocato ad se Mahometis Antisti promisit quadraginta millia aureorum nummorum, si corpus Mahometis ibi, ut aiebat sepulchrum, ostenderet. At Praefectus delubri, sibi dictus, quasi lymphatus respondit: « Andesne his oculis, quibus tot scelera patrasti, eum videre velle? » At alter: « Si viderem prophetam Mahometem, eo viso, ait, se sibi bina lumina effosurum. » Demum deprehensus: « Vidi, aiebat, Mahometem in cœlum ab Angelis ablatum esse, et Christum ad ejus pedes sedere. » *LUDOV. ROM. PATRIC. in navig. l. l. c. xii. et xiii.*

Venenum impune hauriri solitum.

Sultanus Cambriae, quae urbs est ad fluvium Indum sita fuit tempore Romani Patrii, cui mane surgenti debebat semper adduci quinquaginta elephantes, qui a totidem viris reverentiae causa jubebantur Regi genua flectere. Piliis e superiori labro enascentibus non secus caput vineit, ac mulieres capillis. Veneno ita assuevit, ut quotidie sumat eum cibum. Si quem velit e Satrapis mori, ad se accersitum nudari jubet. Dein ipse fructus, et herbas venenatas a se in ore masticatas in eum expuit, et ita miser intra dimidiam horam moritur. Habet quatuor millia concubinarum, semel enim una ab ipso tacta altera die moritur, ejus vestes depositas nemo attingit. *Idem l. iv. c. ii.*

Placere Regi pro summo pretio habitum.

Persa quidam cum Romano Patrio eum amico peregrinatus, merces suas omnes Regi Regnum dono obtulit, cui Rex vicissim gemmas offert in permutationem: sed cum Persa denuo gratis haec se Regi dare profiteretur, ait sufficere sibi, se tanto Regi placere. Rex ei serinium bipalmare aperuit, in varios forulos gemmis variis plenos distinctum: et ei optionem sumendi gemmas, quas vellet, obtulit. At Persa nihil volebat contingere. Tum Rex nolens, se libertati vinci, cum magna amoris significatione singulis forulis ei gemmas promittit, atque donat; quarum erant ultra ducentas, quae aestimatae sunt centenis aureorum nummorum millibus. *Idem l. vi. c. xvi.*

Juvenes ad magna facinora astu excitati.

Circa annum Christi 1240. et seq. fuit in Persia ea regione, quae Mulete dicta est, Princeps pessimus, quem senem de montanis duxere, Mahometanus. Iste sicarius sibi adjunxit, et per eos, quos voluit, occidit: ut omnibus terrori esset. Erat in terra illa vallis amoenissima, montibus altissimis septa: intra quam viridarium plantavit maximum, et pulcherrimum. In eo horto palatia quaedam struxit elegantissime exornata, in quibus omnia sensuum oblectamenta, et voluptatum illecebras collocarat, quibus pro voto fruebantur juvenes quidam intra viridarium positi, qui inibi vitam suam, et suorum more beatam ducebant. Erat autem in introitu horti arx fortissima diligentis custodia munita, per quam solam aditus ad hortum, et inde exitus patebat. Extra locum illum habebat senex ille, cui nomen Alaodim, juvenes quosdam, et viros fortes projecti animi, quos educabat ad hoc ipsum. Eos Mahometis lege imbui curavit; et ut ad omne vitae periculum adeundum ipsos faceret paratiores, cum ei visum fuit, dabat eis potum soporiferum: ita sopitos in viridarium curabat deferri: et cum e sopore evigilaret, ac viderent inter tantas esse delicias, putabant se in cœlum raptos cum Mahomete vivere, et promissis olim ab eo gaudiis frui. Post paucos vero dies, eos denuo medico potu sopitos referri e cœlo illo temporaneos jussit. Tunc illi ad se reversi,

ac tristes ob ademptam illam voluptatem mori optabant, ut ad eum locum redire sibi post mortem liceret. Tum eos Tyrannus hortabatur, ut fortibus factis eam felicitatem student promereri, effecitque, ut ad omnia intrepidi discrimina, terrori omnibus essent, multique potentes viri Tyranno facti sunt tributarii. Sed anno demum 1262. Aliam Rex Tartarorum eam arcem obsedit, ac post tres annos cepit arcem, et Tyrannum cum omnibus ejus assecis, ac delevit. *PAUL. VENETUS l. l. c. xxviii.*

Occisi ad demortui Regis obsequium.

Quando Tartarorum Magnus Cham Mongu fuit ad sepulchrum in monte Alehain deductus mortuus, ex ea persuasione, qua putant in altera vita eidem ab occisis serviri, ad viginti millia obviatorum hominum sunt occisa, et jussa in altero mundo suo Regi servire. *lb. c. liv.*

Rara Regis in subditos benignitas.

Magnus Cham tempore M. Pauli nuntios quotannis misit per omnes provincias, qui referrent, num quæpiam damnum passa esset, aut a locustis, aut vermibus, aut peste alia. Tunc enim talia passis remittit tributa pro eo anno, et pro victu, et semente fruges submittit; quas tempore ubertatis comparat in eum usum, eas vendit tunc minimo pretio, quadruplo minore, quam alii venderent. Si pestis animalia invasit, iterum tributum eo anno condonat; ne viatores errarent, arbores viarum indices dispositos recta semita, et serie. Quotidie per totum annum circiter triginta millia pauperum alit. *lb. l. ii. c. xxiv.*

Versa rusticum melle mersum liberata.

Retulit cum multo omnium (quos inter ipse Auctor fuit) risu Demetrius legatus, proximis annis viciniae suae agricolam, querendi mellis causa in prægrandem cavam arborem superne desiliisset, eumque profundo mellis gurgite, pectore tenuis fuisse haustum, ac biduo vitam solo melle sustinuisse, cum vox open implorantis in ea sylvarum solitudine ad viatorum aures penetrare

nequivisset; ad extremum desperata salute ursae beneficio inde extractum fuisse. Cum forte ejus belluae ad edenda mella se demittentis caudam retro manibus comprehendisset, eam subito timore exterritam ad exiliendum traxit, et clamore concitavit. *PAUL. JOVIVS de legat. Moscov.*

Homines feri lenitate cicurandi.

Fabius maximus, cum militem quemdam Marsum animadvertisset nonnullos ad transcendendum ad Annibalem sollicitasse, non eum exacerbavit; sed merito incusandos aiebat Duces, qui eum non pro virtutis merito honorassent; « Posthac si qua re tibi opus erit, ait, nisi me appelles, te insimulabo. » Tum equum ei eximium donat, aliisque premiis decorat. Hinc eum fidelissimum habuit, ac promptissimum. Turpe enim ducebat, equos nos, et feras, cura, assuetudine, et educatione cicurare malle, quam flagellis, et castenis sævitium bestiarum domare; hominibus autem qui praesit, non studere benevolentia, et lenitate potissimum eos corrigere, sed asperius tractare, quam caprificos, pyros sylvestres, oleastros agricolas, quos in ficus, pyros, oleas cicurant, ac mansuefaciunt. *PLUTARCH. in Fabio.*

Musica leniens oratoris impetum.

Caius Gracchus, quia inter dicendum saepe invitatus auferbatur ab ira, ut vocem concitaret, in maledicta erumperet, et conturbaret orationem, adhibuit remedium, et Licinium servum non insulsum jussit instrumento musico a tergo dicentis instructum consistere. Ubi voce sensit concitatum, et ira tonantem, remittebat molliter, ac incitabat cherdas: et ita fulmen orationis temperato sono symphoniae admodum revocabat. *Idem in TIBER. et GRACCHO.*

Orationis vis actione posita.

Demosthenem querentem lamentabiliter, quod ipse tam laboriosus orator, qui in eo studio vires absumpsisset, populo tamen non placeret, sed temulenti naturæ indocti audi-